



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CDLXXX. Bischof Arnold bestätigt die Capelle und den Altar des heiligen Kreuzes in der St. Gotthardskirche zu Brandenburg, vom 30. Aug. 1474.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

ratificamus et confirmamus nec non in dei nomine his scriptis perpetuis futuris temporibus inconulse permanendas auctoritate nostra ordinaria confirmamus. Nulli ergo etc. Datum Brandeborgh in aula nostra episcopali anno etc. MCCCCLXXIV. feria secunda Pasche. Testes sunt venerabiles, honorabiles et validi: magister Ludovicus Brun, vicarius noster in spiritualibus, dominus Lampertus Benedicti et Matheus Gereken, capellani, Fredericus Schapelow, Marschallus, Johannes et Richardus fratres, conditi de Bardeleve, Ludovicus Eykendorp et alii quam plures familiares nostri fide digni.

Nach dem Originale.

CDLXXX. Bischof Arnold bestätigt die Capelle und den Altar des heiligen Kreuzes in der St. Gotthardskirche zu Brandenburg, vom 30. Aug. 1474.

Vniversis et singulis, quorum interest, intererit vel interesse poterit quomodolibet in futurum, Arnoldus, dei et apostolice sedis gratia Episcopus Brandenburgensis salutem in domino et presentibus fidem indubiam adhibere. Venerabilis dominus Matheus prenne, Canonicus ecclesie Lubuensis, nobis fideliter insinuavit, declaravit et sufficienter informavit, quatenus de scitu consensu ac licentia nostri predecessoris pie memorie Theodorici, episcopi Brandenburgensis Capellam et inibi altare sub vocabulo sancte et vivifice crucis, qui est Jhesus Christus, et gloriosissime virginis marie, matris ejus, ac sanctorum Petri et Pauli, Bartholomei, Philippi et Jacobi apostolorum ac Adalberti, Fabiani, Sebastiani, Urbani, martyris et sanctorum Katherine, Barbare, Dorothee virginum et Marie Magdalene, patronorum In honorem Dei omnipotentis totiusque curie celestis suis expensis apud ecclesiam parochialem sanctorum Mathie apostoli et Godhardi episcopi et confessoris, veteris civitatis Brandenburg, ob anime sue et parentum ac benefactorum omniumque singulorum Christi fidelium animarum gratiam et salutem erigere, edificare et construere fecit ac dictis Cappelle et altari sancte crucis cum omnibus ad divinum officium misse celebrandum necessariis libris, calice, pacificali argenteo, in forma crucis et imaginis Christi laborato, et ornamentis providit atque censum sexdecim florenorum renensium de viginti florenis, quos ipse dominus Matheus partim cum consulatu et certis civibus diete veteris civitatis sub titulo reemptionis, ut infra clarius declarabitur, habuit pro dote omnibus melioribus modo, via, jure, causa et forma, quibus potuit et debuit, ad presbyteri Cappellani Cappelle predictae sustentationem ex certa scientia ac bene deliberatus cum omni jure, quod in ipso censu habuit, libere dedit, donavit, tribuit et assignavit. Iste dominus Matheus dictam Cappellam sancte crucis voluit esse fraternitatis vinearum sancti Urbani diete veteris civitatis Brandenburg, collationem vero sive ius patronatus eligendi, nominandi, presentandi ad predictam Cappellam et altare voluit apud magistros diete fraternitatis vinearum perpetuis futuris temporibus permanere, et ut ipsi magistri prefatam Cappellam et librariam desuper constructam in Cura habeant gubernando, protegendo, ordinando, disponendo ita ut res capelle et librarie libri exinde augmentum recipiant et augmententur vel saltem, in quantum valeant, conserventur in esse et cum ipsa Cappella et altare sancte crucis per mortem ultimi et legitimi veri possessoris vel quovis alio modo pro tempore vacant aut vacaverint etiam per viam permutationis dicti magistri fraternitatis vinearum tunc cum consensu fraternitatis debeant ipsam Cappellam et altare uni clerico aut presbytero filio veteris Civitatis, si haberi poterit, si non, tunc Nove Civitatis Brandenburg, qui nullum habet ecclesiasticum beneficium, et ipsum clericum vel presbyterum patentibus literis domino episcopo

Brandeburgensi vel ejus in spiritualibus vicario presentare humiliter supplicantes, ut ipsi clerico vel presbytero sic presentato cum dictis Cappella et altare provideat, instituat seu in possessionem mittat et inducat, et clericus sic consecutus beneficium infra annum debeat se facere ad omnes sacros ordines promoveri et personaliter apud dictum beneficium Brandeburgense residere et in illis Cappella et altare singulis terciis feriis pro omnibus fidelibus defunctis et sextis feriis de sancta cruce una cum dicte parochialis ecclesie custodibus missas usque ad finem decantare, Sabato vero vel alio die competenti de beata virgine Maria sine cantu missam annuatim perpetuis temporibus legere. Si autem legitime impeditur, per alium hoc facere potest, dicti magistri fraternitatis debeant ordinare et informare censitos, ut dare debeant tres florenos renenses aut unam sexagenam et mediam monete Brandeburgensis principali custodi famulo jurato dicte parochialis ecclesie, ut equaliter dividat cum suis duobus fociis sub custodibus pro stipendio et salario quod meruerunt omnes tres per circulum anni fideliter cantando cum presbytero seu cappellano dicte cappelle in missarum celebratione diebus prenarratis. Debeant etiam ipsi custodes esse sub aliqua obedientia ipsorum magistrorum fraternitatis ita ut, cum negligenter aut abusive se habuerint in et extra dictis missis cantando, ipsi magistri ipsos custodes convenienti tempore et modo verbis corripere, arguere et informare possint et debeant, ut se emendent et amplius laudabiliter in premissis gubernent et teneant. Pro quarto floreno aut media sexagena dicti magistri debent ordinare cereas candelas ad celebrationem missarum predictarum necessarias. Pro quibus viginti florenis renensibus perpetui anni census superius nominatis ipse dominus matheus prene, erector et fundator predicte cappelle et altaris, tricentos et triginta tres florenos renenses titulo redemptionis exposuit ut dedit et signanter comparavit et emit cum consulatu dicte veteris civitatis Brandeburgensis in et super ejusdem consulatus pretorio VI florenos renenses annui census, pro quibus sex florenis dominus Matheus dedit dicto consulatui centum florenos renenses, prout in litera consulatus desuper facta et sigillata sufficienter propter firmam memoriam habendam extitit scriptum, quatuordecim vero florenos renenses similis annui census ipse dominus matheus comparare et emere fecit per discretos et circumspectos prefate veteris civitatis cives, magistros fraternitatis prenarrate, cum certis nominatis suis concivibus in et super eorum vineis, ortis, pratis, agris, pro quibus dominus matheus exposuit, perfolvit et dedit ducentos et triginta tres florenos renenses, prout notanter hujusmodi emptionis contractus in libro Schabinorum civitatis antique Brandenburg fuit conscripti. Et cum aliqui census de predictis viginti florenis annui census per censitos seu debitores censuum fuerint liberati et reemti et summa florenorum capitalis cum annuo censu debito termino magistris fraternitatis vitearum restituta et soluta, ipsi tunc magistri debeant et habeant pro dicta summa florenorum alios similes annui census emere et comparare ac etiam ordinare et disponere, quod censiti sexdecim florenos vel eorum valorem monete Brandeburgensis annuatim vero Cappellano Cappelle sancte crucis dent et perfolvant, et ut ipse Cappellanus ab ipsis censitis ei nominatis et consignatis per dictos magistros vinearum per se postulet et moneat. Ipseque dominus matheus voluit et affectavit, quod ipsa Cappella et altare sancte crucis propter certas et rationabiles causas manere deberet et debeat suum verum beneficium una cum censibus predictorum sexdecim florenorum usque quo viveret. Ut igitur premissa omnia et singula robur perpetue firmitatis obtineant, Nobis per dictum dominum matheum prene Canonicum fuit humiliter supplicatum, quatenus ei in omnibus et singulis punctis et articulis favorabiliter annuentes consensum et assensum nostrum adhibere eaque auctoritate nostra ordinaria confirmare et cum dictis cappella et altare sancte crucis et censibus sexdecim florenorum providere et instituire dignaremur. Nos igitur attendentes supplicationem hujusmodi domini mathei fore rationabilem justam atque piam, dictam Cappellam et altare sancte crucis creando erigendo fundamus creamus erigimus et dotamus, eundem censum et ubi-

cunque futuris temporibus in casu reemptionis emi et comparari contingat, ipsis cappelle et altari annectimus, vnimus et incorporamus ac censibus ecclesiasticis ascribimus et connumeramus statuentes ipsum in antea ecclesiasticum fore, jure et libertate ecclesiasticis gaudere debere prenominatosque quatuor florenos renentes similis annui census, presertim tres florenos renentes custodibus parochialis ecclesie pro follario, quartum florenum pro cereis candelis ad dictum officium missarum prenominatarum necessariis assignatos et deputatos sexdecim florenis aggregamus et annumeramus ipsosque ecclesiasticos facimus et ecclesiastica libertate gaudere volumus et decernimus. Ipsi quoque domino matheo cum prenominatis cappella et altare ac censibus providemus, conferimus et insituimus seu in possessionem ducimus eorundem. Cetera omnia prescripta rata, grata atque firma habentes et certa nostra scientia in omnibus et singulis punctis sive articulis approbamus, ratificamus et tenore presentium in Dei nomine confirmamus, In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premisorum presentes nostras litteras ex inde fieri fecimus nostrique Sigilli iussimus appensione communiri. Datum et actum in Castro nostro Seyerzer nostre Brandenburgensis diocesis, anno domini millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, die vero Martis penultima mensis Augusti.

Nach dem Original.

Einer alten Copie der vorstehenden Urkunde, welche sich im Brandenburgischen rathhauuslichen Archive befindet, ist folgendes Register der Reliquien der St. Gotthardskirche beigefügt:

Iste subsequentes reliquie sunt apud magistros fraternitatis vinearum in quodam ladula in custodia, que tempore consecrationis cappelle et altaris sancte crucis debent recondi per episcopum consecrantem in altari:

primo particula ossis de sancto Johanne baptista;
 de sancto Thoma apostolo;
 de monte caluarie;
 de lapide supra quem Christus fuit positus, quum sumptus fuit de cruce;
 de columna flagellationis;
 de loco, ubi beata maria fuit nata;
 de sancta Katerina;
 de camifcea sancte Dorothee.

Iste sunt reliquie, que recondite sunt in pacificali argenteo cum figura Christi in Cruce:

primo de sancto gangulpho
 de undecim milium virginum
 et una particula ossis de sancto Brixio.

CDLXXXI. Bischof Arnold bestimmt die Verhältnisse der Vicarien und Altaristen,
 am 16. Febr. 1475.

Arnoldus, dei et apostolice sedis gratia Episcopus Brandenburgensis, Vniuersis et singulis presentes litteras intuentibus Salutem in domino et presentibus fidem indubiam adhibere. Quia propter diversas rixas et dissensiones, que inter rectores, membra et ministros ecclesiarum coniunctim vel diuisim aliquando oriri consueverunt, ecclesie ipse in divino culto, sacramentorum administratione, diuinis officiis ac aliis in spiritualibus et temporalibus non modica susceperunt detrimenta, propter que ex pastoralis officii dignitate nobis commissi paci et quieti in nostris subditis et preeminentius in clero intendimus et animo pervigili insudamus et sicut civitas nostra altius diocesis nomine eminet, altius et primo